

Dissertatio medica inauguralis, de amenorrhoea ... / Eruditorum examini subjicit Barnabas Coyne.

Contributors

Coyne, Barnabas.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat C. Stewart, Academiae Typographus, 1803.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rt7aqfmr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSE^TRAT^IO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHOE^A.

DISCOURSES MEDICO

ANATOMICAL

ANATOMICAL

ANATOMICAL

9

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
A M E N O R R H O E A.

Q U A M ,
ANNUENTE SUMMO NUMINE ,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri ,
D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFEGTI ;

N E C N O N
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu ;
Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto ;

Pro Gradu Doctoris ,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;
Eruditorum examini subjicit
BARNABAS COYNE,
HIBERNUS ;

Morbi non eloquentia, sed remediis curantur.
CELSUS.

Ex Simplicitate decus.
QTINBT.

Ad Diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI :
EXCUDEBAT C. STEWART
ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1803.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31967565>

PATRI SUO OPTIMO,

DILECTISSIMOQUE,

BARNABÆ COYNE,

CUI

OMNIA, PRÆTER VITAM, ACCEPTA REFERT,

EA QUA PAR EST PIETATE,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRARE VOLUIT.

AUCTOR.

NECNON
AMICO SUO SPECTATISSIMO,
ABRAHAMO COLLES, M. D.
CHIRURGO PERITISSIMO,
ARTEM PROPRIAM, FAUSTISSIME,
SIMMISQUE CUM LAUDIBUS,
DUBLINIENSI EXERCENTI,
TENTAMEN HOCCE,
QUALECUNQUE FUERIT, AMICITIÆ PIGNUS
DAT, DICAT, CONSECRATQUE
AUCTOR.

BRASSKJELD MØRSKE

MINISTERIUM

AMICO EDO GÖTTSCHE

ABRAHAMO COTTUS MD

CHRISTOCESCHIMO

ALBERTUS MAGNUS MECKL

EDUARDUS COMTALIS

1. CONCORDIA. 2. CONCORDIA. 3. CONCORDIA.
4. CONCORDIA. 5. CONCORDIA. 6. CONCORDIA.
7. CONCORDIA. 8. CONCORDIA. 9. CONCORDIA.
10. CONCORDIA. 11. CONCORDIA. 12. CONCORDIA.
13. CONCORDIA. 14. CONCORDIA. 15. CONCORDIA.
16. CONCORDIA. 17. CONCORDIA. 18. CONCORDIA.
19. CONCORDIA. 20. CONCORDIA. 21. CONCORDIA.
22. CONCORDIA. 23. CONCORDIA. 24. CONCORDIA.
25. CONCORDIA. 26. CONCORDIA. 27. CONCORDIA.
28. CONCORDIA. 29. CONCORDIA. 30. CONCORDIA.
31. CONCORDIA. 32. CONCORDIA. 33. CONCORDIA.
34. CONCORDIA. 35. CONCORDIA. 36. CONCORDIA.
37. CONCORDIA. 38. CONCORDIA. 39. CONCORDIA.
40. CONCORDIA. 41. CONCORDIA. 42. CONCORDIA.
43. CONCORDIA. 44. CONCORDIA. 45. CONCORDIA.
46. CONCORDIA. 47. CONCORDIA. 48. CONCORDIA.
49. CONCORDIA. 50. CONCORDIA. 51. CONCORDIA.
52. CONCORDIA. 53. CONCORDIA. 54. CONCORDIA.
55. CONCORDIA. 56. CONCORDIA. 57. CONCORDIA.
58. CONCORDIA. 59. CONCORDIA. 60. CONCORDIA.
61. CONCORDIA. 62. CONCORDIA. 63. CONCORDIA.
64. CONCORDIA. 65. CONCORDIA. 66. CONCORDIA.
67. CONCORDIA. 68. CONCORDIA. 69. CONCORDIA.
70. CONCORDIA. 71. CONCORDIA. 72. CONCORDIA.
73. CONCORDIA. 74. CONCORDIA. 75. CONCORDIA.
76. CONCORDIA. 77. CONCORDIA. 78. CONCORDIA.
79. CONCORDIA. 80. CONCORDIA. 81. CONCORDIA.
82. CONCORDIA. 83. CONCORDIA. 84. CONCORDIA.
85. CONCORDIA. 86. CONCORDIA. 87. CONCORDIA.
88. CONCORDIA. 89. CONCORDIA. 90. CONCORDIA.
91. CONCORDIA. 92. CONCORDIA. 93. CONCORDIA.
94. CONCORDIA. 95. CONCORDIA. 96. CONCORDIA.
97. CONCORDIA. 98. CONCORDIA. 99. CONCORDIA.
100. CONCORDIA.

100000

100000

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMENORRHœA.

AUCTORE B. CORNE.

IN corpore humano, cuius structura et fabrica maximè mirabilis, sapientiam supremi numinis et potentiam, clarè, et evidenter, demonstrat, multæ mutationes oriuntur, quæ philosophorum et medicorum attentionem, in se, non convertere non possint. In his autem (ni fallor) Amenorrhœa, et alii virginum morbi, maximè eminent. Sexus enim amabilis, cui plurima vi- tæ solatia debemus, graviter ægrotans, misericordiam, et opem, jure sibi vindicat. Hanc

A

propter

propter causam, multa de virginum morbis jaur-
dudum eximiè scripta, me, ab hac re suscipien-
da, non terruerunt.

Certo vitæ tempore, nempè circa puberta-
tem, totum virginis corpus, sed regio præser-
tim uterina, magnam subit mutationem. Ute-
rum partesque ei annexas depingere vix necel-
farium puto, iis, oculis quorum fidelibus sub-
jectum fuerit, hoc opusculum meipso longe me-
lius cognitum, (haud enim anatomiæ ignoris
scribo). Vasa genitalia in uteri fundum des-
inentia, et circa hoc tempus, (viz. pubertatis),
maximè patefacta, per paucos dies ferofum;
dein sanguineum, et, sub finem effusionis, fe-
rosum rursus paulisper trajiciunt. Eluvionem
hanc jam adfuturam, edocent plurima sympto-
mata. Vultus pallet, livescunt genæ; afficitur
dolore capitis puella, lassitudine, doloribus mag-
nis quasi urentibus, regionem uterinam et lum-
bos præsertim vexantibus, et aliis debilitatis
signis. Hæc indicia primum menstruorum
fluxum sæpe comitantur, qui per dies tantùm
paucos

paucos fluere perstans, fæminam æquè ac ante fanam relinquit ; sed si menstrua, eo vitæ tempore jam recensito, non accedunt, (instantibus simul symptomatibus jam dictis), *Emanſio* mensium * a nosologis morbus vocatur. *Suppreſſio* † verò mensium et iste status, in quo, postquam fluere incipiebant, ex toto reprimuntur. Sub nomine verò Amenorrhœæ, omnia quæ ad varias eorum obſtructiones necessaria esse videantur, comprehendi posse judicavi, et id eâ causâ adhibere decrevi.

Tempus ætatis, quo fluxus hic incipit incertum est ; multas enim propter causas variatur. Sed plerumque in hac insulâ, dummodo valitudine fæmina bonâ fruitur, menstrua incipiunt inter duodecimum et decimum-quintum annum, Levem, tamen, sanguinis uterini cursum, quædam puellæ expertæ sunt, nono, octavo, vel etiam quinto anno, sed ut opinor rarissimè ||.

In

missouriensis harrington aspinwall fossil bones

* Vide Cullen's Nosol. † Ibidem.

|| Vide Heberdeni Comment, p. 252.

In plagis ad septentrionem spectantibus, frigidisque, multo tardius, quam in australibus calidisve, virgines adoriuntur. Nam in regionibus percalidis, circa annum ætatis nonum, menses apparent ; quia in his, corpus summum suum incrementum citius attingit, et puellæ spatio temporis breviori nubiles evadunt ; et, vice versa, in tractibus algidioribus, ut in Lapponia, duplex ferè temporis spatium ad eundem effectum edendum fuerit necessarium ; sed multum me gaudet, incolas propter venustas patriæ meæ carissimæ, quod in hoc ut in aliis rebus fortasse via in media tutissima est.

Multis ab auctoribus discimus, puellas regiones meridionales, quam Europæanas vel septentrionales incolentes, parciores menses excernere, quod minimè nobis præter naturam videtur ; si enim corpus in regionibus jam dictis, brevi spatio novem aut decem annorum maturoscit, cum in his (viz. frigidis) ad eandem momen-
tum annum haud attingit, capacitatem vaso-
rum

rum in illis ad fluida continenda majorem futuram esse, quam in his pro ratione ætatum differentiæ conjicimus ; multum tamen a statu solidorum pendere confitebor.

Ætas quâ primum orditur profluvium, diversa fœse habet incolas inter earundem etiam regionum, climatis temperie, corporis habitu, victus-ve confuetudine, magnoperè pendere, nemini non constat. Variat etiam ex causis jam relatis ætas, qua decedit hæc eluvio menstruorum. Quadragesimum inter et quinquagesimum annum, fluor hicce plerumque adefße definit ; verum eorum ex toto cessatio iisdem ad ortus subjicitur varietatibus.

Hæc fere est norma naturalis* ad quam fanguis uterinus demum subsistit; attamen interdum fit, ut menstrua et sæpius et abundantius tum, cum prope sunt ad finem, neque sane alio tempore, (graviditate exceptâ) sanguinis profusiones tantæ tamque pericolosæ ex utero fiunt.

Auctores

* Vide Hiberd. Comment. p. 253 et 4.

Auctores de copia vel quantitate sanguinis, singulis vicibus excreti, haudquaquam in eandem sententiam iverunt. Quidam † uncias sex, vel octo plerumque excerni dicunt, alii ‡ ad uncias viginti collocant. Clariss. de Haen, ut videtur, mensuram a tribus, ad quinque plurimum accedere uncias compertum habet, et Hippocrates (ut audivi) uncias octodecim excretas esse affirmavit; sed

“ Non nostrum inter illos tantas componere lit-
tes,” et quantitatem perfectam confirmare, lectori
ingenio relinquo; nam magni momenti rem esse
haud existimo, utrum unciæ quatuor, quinque,
sex, vel quatuordecim effunduntur, neque faci-
le, ut opinor, stabiliri potest, præcipue cum in
omnibus fere mulieribus quantitas variatur, et
in fæmina eadem, diversis temporibus, sæpenu-
merò. Utrum vero fluxus menstruorum pro
morbo, necne, debeant haberi, symptomata quæ
eosdem comitantur, facile (me faltem judice)
mon.

† Vide Haller. ‡ Vide Friendii Emmenol. cap. I.

monstrabunt, viz. Si quantitas sanguinis emissâ magna fuerit, si ultra spatum sex, vel septem dierum perstiterit, si vires aegrotae minuuntur, si cum febre, capitis dolore, vertigine, dyspnoeâ, dorsi lumborumque doloribus comitentur, &c. Hic tamen memorare licet, fæminas bono loco natas, et hanc propter causam ignaviæ magis luxuique deditas, menstrua majore copia habere, fluxusque continuationem in majus prolatam, quam eæ quæ diætâ parcâ et cum vitâ strenuâ conjunctâ utuntur. Tantam industriæ, laboris, virtutisque compensationem, voluit alma rerum parens! Menses solita ætate sæpe non prorumpunt, vel propter corpus malè nutritum, aut gravi labore, vel improspera valetudine exhaustum, aut denique quacunque causa valde debilitatum, ita ut vel nulla sanguinis abundantia fieri possit, vel sanguine facto, vis illa deesset, quæ sanguinem ad uterus eliciat, vel per ejus vasa propellat. Eisdem propter causas menses sæpe supprimuntur fæminis, quibüs, jam frequentissimè, justa post intervalla, et idoneâ quantitate

quantitate provenirent, vel morbus Amenorrhœa dictus formatur.

Menses quoque eo facilius impediuntur instantes, vel reprimuntur fluentes, causis quæ viderentur levissimæ, suppressisque eo magis nocent, quod insolita, dum instant vel fluunt, universi corporis mobilitas viget †.

A menstruis diu suppressis, morbi multi gravesque oriuntur, quales sunt apoplexia, mania, hysteria, fluor albus, leucophlegmasia, hydrops, &c.

DEFINITIO.

Menses tempore quo fluere solent, vel solito parciores vel non omnino fluentes, citra graviditatem ||.

DIA-

† Confuse, Conspect. Med. Theor. Gregorii.

|| Cullen, Synops. Nosol. Meth.

DIAGNOSIS.

Quamvis quis attente morbi hujus historiam, vel descriptionem jam antea datam, animo perpendens, illum ab omnibus ferè aliis, non potest non dignoscere, solum in quo decipi possumus, quod conceptio, pro morbida mensium suppressione, haberi potest. Graviditas verò et amenorrhœa, eo internosci possunt : Si vomitus post menstrua suppressa, præsertim manè, infestat : vomitio enim frequentius matutino tempore, à conceptione, quam a mensium suppressione, exoritur ; si in suspicionem nomen ægrotæ incurrat ; si mammæ magnitudinem, et firmitatem sibi insolitam, acquirunt, (nam in amenorrhœa molliores et flaccidiores sunt) ; vultus etiam aliud discrimen dat ; quia, prægnantibus plerumquè speciosior est, dum contra obstruktione menstruali conflictantibus, insigniter pallet ; si denique, quatuor vel quinque mensibus

elapsis, omnia hæc signa graviditatis evanescunt, nobis concludere fas fit, morbum ex confuetudine cum viro, suam ducere originem ; et, vice versa ; si symptomata jam recensita post dictum tempus ingravescere pergent ; si languor, anorexia, nausea, membrorum tumor, et alia debilitatis signa magis indies augescant, persuasissimum habeamus, fæminam morbo vero implicari ; neque ullam (quantum in nos est), moram esse deberi, ad idonea remedia confugiendi. Sed in memoriâ oportet nos semper tenere, non omnibus ægrotæ fabulis fidem habere. Professor peritissimus Gregorius, de remediis evacuantibus tractans dicit, “ innuptis vero, ex plebe saltem, “ de mensium defectu conquerentibus, propter “ causas satis manifestas, nunquam temere cre-“ dendum est.”

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Hic morbus licet raro per se lethalis sit, saepissime tamen pertinax est et curatu difficultis, immo interdum immedicabilis, nam multos alios gravissimos frequenter antecedat. Medicus igitur cautē præfagiatur, qualem exitum habiturus sit; si autem, ægra non sit provecta ætate, nec morbis antecedentibus fracta, nec diu continuaverit suppressio, si organum quod menstrua profundit neque pravè conformetur, nec ullo modo læsum fuerit; si amenorrhœa non multum spatii habuerit, et præfertim si a frigore, ad tempus mensium fit orta, tunc benignus eventus sperandus est. Sin res semet omnino aliter habeant, periculum idque haud leve utique pertinacendum est. Fæmina quæ non peperit, gravius et citius menstruorum laborat suppressione, quam ea quæ peperit. In memoria tamen retineamus, prognosin omnibus menstruorum

menstruorum retentorum casibus accommo-
datam exhibere, minimè in potestate nostrâ
situm esse, quia adeo diversis corporis constitu-
tionibus diversæ sunt ægræ, et etiam tot, tam
multæque res, quæ profint vel obsint ejus cura-
tioni, morbi cursu accidunt, quæ nostrum judi-
cium mutare valent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ, quas auctores hunc morbum movere,
credunt, multæ sunt et variæ, eo magis atten-
tione dignæ, quod ex earum natura bene per-
specta, morbi sanatio, et fluxus menstrualis re-
vocatio, potissimum pendent; sed natura scien-
tiā nostram causarum et effectuum arctis limi-
tibus circumscriptis.

Impediuntur menses jam instantes, vel subito
sistuntur, dum fluunt, variis causis, quarum
nullæ vel frequentiores, vel vehementiores sunt,
quam quædam mentis affectiones deprimentes,
veluti

veluti metus, tristitia, &c. Frigus etiam seu manibus, seu pedibus adhibitum, menses sæpius impedit: hinc in regionibus ubi mos est ancillis (paupertatem propter) perambulare plateas humidas, et frigidas, pedibus nudis, Amenorrœa frequentissima est, nec mirum; frigus enim ut omnibus notum est, vasa, partis, cui adhibetur constringit, tantaque sympathia, inter varias corporis partes, exstat, ut unâ affectâ, nullas alias partes non sit certissime affectura, nam aqua frigida scrotum tangens, epistaxis sæpius prohibet. Medici quidam solertes affirmant, nullam noxam, adeo frequenter hunc morbum inducere ac amoris inopiam, et fane minimè negandum est, multum causæ relatæ in menstruis obstruendis deberi.

Sunt aliæ vero causæ, quæ hunc morbum allicere possint, et si rarissime; ut uteri ipsius mala conformatio, qua minus valeat, ad sanguinem congerendum et effundendum, vel et si sanguis effusus fit, via fortasse ex utero ducens, præter naturam obstructa esset. Sæpius vero

falyâ

falvâ omnino organorum fabricâ, menses solito tempore non prorumpunt, ob defectum istius conditionis ovariorum, unde secretio humorum foecundorum, qui utero stimulo videntur esse, pendet †. Ab alio celeberrimo auctore discimus, partus post difficiles, menstrua diu manserunt suppressa, maximè si lac non desinat in mammis fluere. §

Inter causas hujusce morbi, celeberrimus Morgagnius, errores, diaetam et exercitacionem spectantes, enumeravit, et alii medici peritissimi huic opinioni subscriperunt, et igitur usum theæ, coffeae, piscium quorundam, &c. interdixerunt. Veruntamen tam multae sunt mulieres, quae his victuum generibus indies impunè utuntur, hanc affectionem perrarò inducere, nobis concludere fas est. Hoc tamen constat ut quicquid difficilius concoquitur, id faeminas mensibus fluentibus minime aptatum esse.

Multae;

† Vide Med. Theor. Gregorii, p. 454. vol. I.

§ Heberden. Comment. p. 254. et sequent.

Multae sunt equidem aliae causae, quae hunc morbum inducere possint, sed eas hic, sigillatim recensere, operaे haudquaquam pretium ducimus, et cum professoris eruditissimi, tamque saepe citati, opinione, hanc concludimus partem †.

CAUSA PROXIMA.

Causa proxima amenorrhœae, diu multumque inter medicos exagitata fuerat; quidam pleniorae aut nimiae sanguinis quantitati eam traherunt

† “Menses a duabus causis generalibus frequentissime
“ desiciunt, vel a defectu vis, quæ sanguinem per vasa
“ atque foramina uteri propellere debuisset, nihil præter
“ solitum exitui ejus obstante, vel a renixu aut impedi-
“ mento aliquo præter naturam, quale, neque solitæ cor-
“ poris vires, quæ sanguinem propellerent, neque sanè
“ multo majores, quas vel natura vel ars fuscitaverit su-
“ perare queant.”

Greg. Confsp. Med. Theor. p. 430. vol. 2.

buerunt †. Sed quo modo hoc faciat (me faltem
judice) est omnino incertum, nisi fortasse quod
nimium sanguinis cor et arterias ad sanguinem
propellendum impares reddere potest ‡. Alii
visciditati humorum, vel *lentori* (ut dicunt) cum
vasorum uteri rigiditate et obstrukione omnem
conferunt culpam; sed causis remotis jamjam
dictis bene perpensis, in sententiam alteram con-
cidemus, et causam proximam vel in debilitate
vasorum uteri, aut rigiditate spastica positam esse
nemini non videtur. Utrum verò debilitas jure
stet, inter causas amenorrhœae, necnè, multi
dubitant; et hanc propter causam, quod debi-
les multo saepius menorrhagiâ, quam amenor-
rhœâ laborant. Sed opinio est Culleni illu-
strissimi || et multis argumentis stabiliri potest.
Heberdenus, vir valde peritus, eandem in senten-
tiam concurrens, ait, quod menstrua, quae singu-
lis mensibus redire consueverunt, si febris inci-

dat

† Junkēr. ‡ Boerb.

|| Cullen's Pr. Ph. cap. MII.

dat ferè semper supprimuntur. Quae etiam phthisi pulmonum occupantur per aliquot menses antequam moriantur, nullum sanguinem ex utero effundunt †.

Quatenus spasmus causa proxima incipiens esse, et duratione suâ debilitatem et relaxationem facere possit, peritioribus dijudicandum relinquo.

RATIO MEDENDI.

Quoniam, causa hujus morbi, ex totius corporis, praecipue autem vasorum uterinorum, laxitate, et debilitate, pendere videtur, igitur consilia medendi praecipua apparent.

1^{mo}, Totum corpus roborare.

2^{do}, Actionem vasorum uteri nimis languidam excitare.

Auxiliorum, primae consilii parti responden-

C

tium,

† Vide Heberdeni Comment. p. 254 et 5.

tium, idonea corporis exercitatio optima diversisque casibus accommodatissima est. Exhalationem cuticularem promovet, appetentiam cibi accuat, concoctionem maximè juvat, sanguinisque per aortam descendenter cursum adjutat, et porrò utentibus, omnes corporis functiones excitantur, siveque vim atque robur acquirunt. Hæc vera accidere, satis manifestè constabit, si nobiscum reputabimus, quam firma corporis constitutione, quamque fani sunt ac vegeti, qui ruri degunt, ibique necessitate coacti, vitam assiduam operosamque agunt; quare non in minimis bonis ponendum est, quod, nil, sine magno vitae labore, natura, dedit mortalibus. Exercitum viribus tamen ægræ debet accommodari, et haud sine causâ affirmare audemus, experientia docti, equitationem, cursum, ambulationem, sed præcipue saltationem, gestationi, frictioni &c; palmarum facile præripere. Cibi, potusque, habenda est ratio, et in amenorrhœâ a debilitate pendente; diæta lauta, et nutriens, optimum remedium erit, qualis ventriculo optimè conyeniat, pristinumque

pristinumque corporis vigorem restituat. Debet tamen esse lævis et concoctu facilis, ne grayaret magis quam nutriret ventriculum.

Vinum, cum cura et prudentia adhibitum, certè in omnibus debilitatis morbis, nulloque magis quam in hoc multum prodest ; et ex omni potus genere, vinum præstantissimum esse, nihil dubito. Cyathi pauci quotidiè, et post justa intervalla, sumpti, vigorem systematis renovabunt, animum placidum vacuumque curis dismitten, et ubi functiones ventriculi læsæ sunt, magnoperè juvabunt. Horatius, acutus, et subtilis ille morum observator, in effectibus vini describendis, omnes, quotquot vidi, vel audivi, longe antecellit.

Quid non ebrietas designat ? operta recludit,

Spes jubet esse ratas ; in prælia trudit inermem,

Sollicitis animis onus eximit ; addocet artes,

Fœcundi calices quem non fecere disertum ?

Contracta, quem non in paupertate solutum ?

HOR ; EPIST. V. LIB. I.

Excessum

Excessum autem ipsius, nunquam non timendum, et cane pejus et angue, evitandum esse debuit.

Cortex Cinchonæ offic; in loco eodem cum vino conjungi fortasse oportebat, quod consimilis operis a nonnullis judicatur, quodque sœpiissime cum remedio jam dicto administratur. Etsi medicamentorum roborantium principem esse, facile agnosco, attamen mulieribus retentione vel suppressione menstruorum laborantibus raro nunc præcipitur. Sed in hoc morbo, plurimum sanè, (si Leakii affirmationi fidem habeamus) * proficit, qui præconia maxima, (perperam fortasse) in eam expendit; aitque, se nunquam tale tamque bonum remedium invenisse, sed ut dicit Gregorius ingenuus,—Valeat quantum valere potest.

Balneum frigidum, a multis tanquam remedium minime spernandum laudatur. Cum morbus nondum longè progresus sit, nullum hoc efficacius esse reperietur, sed debilibus diutinitateque

* See Leake on diseases peculiar to Women.

turnitateque morbi confectis, applicatio ejus non absque periculo erit, atque non nisi summa cautione adhibitâ, experiendum. Si ita res se non habeant, adhibeatur. Tempus vero in balneo commorandi, aegrae viribus, pristinae que constitutioni respondere debeat. Pro effectibus ejus consule *Consp. Med. Theor.*

Cap. 39.

Ex ferro praeparationes numero multae sunt; equidem an ulla sulphati ferri anteponendae sint nescio, praesertim si cum myrrha conjunctus fuerit. Etiamsi nonnulli autores, limaturas ferri opinantur multo plus proficere; alii vero carbonatem, cum cortice cinchonae, vel extracto ejus, aut gentianæ junctum, prescribunt. Parum vero fiduciae in his et classe amarorum, qui tonica quoque creduntur, collocandam esse puto; et omnibus satis luculentem (ni fallor) patet, quod illi qui aquis chalybeatis naturalibus utuntur, alia simul neque minoris momenti auxilia habere solent.

Opii vires antispasmodicæ, fere omnibus cognitæ

cognitae sunt. Omnes corporis actiones stimulat, dolorem vel tollit vel mitigat, et imminutam vasorum uterinorum actionem auget. Dotes opii proprias exponere non aggrediar, sed verba Gregorii infra citabo.*

Ubi

* “ Opium vero, in multis casibus, menses efficacissime
“ movet, et sœpè omnibus aliis medicamentis planè ante-
“ ponendum est, nimirum cum solita naturæ molimina fi-
“ unt, et sanguis non modo solito velocius movetur, sed
“ ad uterum simul copiosius derivatur, quamvis, propter
“ contractionem nimis validam, seu spasmum vasorum et
“ foraminum uteri, exire nequeat; et talis corporis con-
“ ditio haud ambiguus plerumque signis sciri potest, pulsū
“ imprimis frequente et valido, auctoque cutis calore, et
“ gravibus uteri lumborumque doloribus, et nausea, et vo-
“ mitu, aliisque signis ventriculi male se habentis, et capitis
“ dolore et gravitate, omnibusque demum notis, sanguinis
“ ab utero quasi pulsi, inque alias ideo partes derivati. In
“ hoc statu, opium etiam per os sumptum spasmum solvit,
“ vasa atque foramina uteri laxat, et sic sanguini per illum
“ exitum sœpe conciliat, sed multo ferè efficacius reperi-
“ tur, in ima intestina per clysterem infusum; cuius rei ra-
“ tio minimè obscura est.”

Ubi dolor uteri acerbus urget, tempore quo menses fluere debent, ibi semper conjicere licet opium esse profuturum; et quo propius ad partem adhibebitur, eo magis proderit. Dolores qui menstruis instantibus, vel fluentibus, oriuntur, tutò leniuntur opio; et hanc propter causam jussit vir peritissimus Heberdenus, in commentariis suis, ut mulieres, quae illis opportunae sunt, debent semper in promptu habere semigranum, vel granum opii, sumendum protinus ut dolor ingruat, et si opus fuerit, semel aut bis (interpositâ semihorâ) repetendum. Porroque affirmat, opium hoc modo datum, neque purgationem istam cohibere, nec omnino perturbare; et si a stomacho aegrè fertur, commodè infunditur in alvum.

Ad secundam consilii partem obtinendam, nempe, ad vasa uterina stimulandam, maximè prosunt purgantia, et eorum optima sunt, quae in inferiorem intestinorum partem, opus suum praecipue edunt. Cathartica acriora solitu difficultia, uterus insigniter irritant, et menses

menses saepe efficacissimè eliciunt. In horum numero sunt, Aloe et Scammonium, aliaque quae in rectum prius delabuntur, quam eorum vires penitus refringuntur; et professore nostro (Home) aloen sub forma vini, in hoc morbo, saepe cum exitu felice, exhibendam esse vidi. Potestates omnium hujusmodi medicamentorum, tam magnae existunt, ut ingens profluviū, abortum, et nonnunquam mortem ipsam inducant; sed in mulieribus tantum quae uterus gerunt.

Radix Hellebori nigri facultatem movendi menstrua sibi vindicavit; quam tamen nullo satis firmo arguento, usus medicis nuper confirmavit. Meadius clarus non dubitavit audacter asseverare, tantam in hoc medicamento inesse virtutem, ut vix meminisset id, cum ad menses eliciendos datum esset, spem suam unquam fefellisse. Dolendum est sanè experientiam recentiorum tanto viro in hac re minimè suffragari. Professor Gregorius dicit, "dormitabat certè bonus senex, nunquam ali-

ter

ter in tali morbo tantum deque tali medicamento testimonium daturus, honesti scilicet viri et sapientis medici, gravitate atque prudentia pariter indignum, et experientiae pene quotidianaे dissentaneum." Sed aliquando etiam bonus dormitat Homerus, et opere in longo fas est obrepere somnum. Certè honestissimi etiam medici semet aliosque interdum decipiunt, effectum medicinae, ab opere naturae scilicet, parum accuratè distinguentes. Sed alia auxilia, uteri regioni applicanda, majore cum spe successū jaçtant medici. Ex his electricitas locum primum fortasse meretur, ut ex effectibus potenter stimulantibus, quos in sistema universum edit, saepe cum fructu maximo fuit adhibita, concludi posse videtur. Quo plurimum proficiat, scintillarum forma, ex pube vel lumborum regione eliciendum est; vel eadem hae partes, eodem percutiendae, et tanta tamque magna vis est hujus remedii, quae stimulo ejus tribuenda est, ut saepe ipso temporis puncto quo adhibetur, inopinatus

nantibus prorumpant; in casibus vero ubi eam adhiberi vidi, perraro profuit.

Balneum tepidum quoque, saepe efficax inventum est, formâ fotûs regioni uteri, vel balnei, cruribus atque femoribus adhibitum, etiam si equidem pericula recentiorum medicorum, id non aequè utile esse, ac antiqui crediderunt, demonstrârunt. Sunt qui putant, fluida, calore expansa, vasa ad majores contractiones stimulavisse. Hoc autem minimè compertum habemus; veritatem proprius appropinquare videtur, calorem vasa nimis contracta solvere, ac aperire. Obiter hîc memorare licebit, mulieres, in omni casu, praesertim mensium deficientium, pedes et crura, quam possint diligentissimè a frigore et humore defendere oportere.

Nunc de usu Veneris idoneo dicendum est, et quomodo agere vel prodefse possit, nemini non constat. Coitus ex tempore Hippocratis usque ad hunc diem, inter remedia, quae menses efficacissimè provocant, habitus fuit; et vir sagax Celsus, ita scripsit; “Concubitus neque nimis

nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est; rarus corpus excitat, frequens solvit." Sed fortasse ambigi potest, num tanta beneficia coitibus solis tribuenda sunt, quum confideravimus ut alterius sexus amor, cogitationes impuræ, et caet. totum corpus sed regionem præcipue uterinam accendent; et tironi maxime inexperto patet, ex animi statu, magnâ faltem ex parte, pendere sanitatem corporis. Huc tamen referri debet aliud remedium satis tutum et naturale, (ait Gregorius) et saepe efficacissimum, iustus scilicet Veneris cultus, quantum hoc, in menibus evocandis, valeat remedium plurimæ puellæ donec virgines erant, macræ, pallidæ, male sanæ, felice conjugio, nitidae, vegetae, roseae brevi factæ, non ambiguè testantur †.

Rubia tinctorum quoque magnas sibi laudes obtinuit; auctor enim peritus, Homius, omnique fide dignus testatur ‡, omnium emenagogorum

† Conf. Med. Th. Cap. 39. p. 442 & seq.

‡ Consult *Clinical facts &c,*

gogorum praestantissimum et efficacissimum esse.

Quando hoc remedium rarius viderim adhibitum, nihil de potestatibus ejus dicere audeo, nullâ experientiâ doctus. Juvenis medicinae parum peritus, remedia, nec laudare sine credulitate nec vituperare sine arrogantia potest. Sunt fanè alia, et pene indefinita remedia, quae menstruas purgationes hærentes interdum expedierunt: ex his vero gummi calida, seu fœtida, et castoreum, et similia, optima sunt. Dolendum tamen est, menstrua tarda, parca, aut suppressa his omnibus auxiliis sæpen numero non respondit. Nihil mihi nunc restat dicere, nisi, quod quæcunque remedia aptissima judicamus, semper tempore menstruo adhibeantur, tunc enim etiam si menses nulli, quædam molimina, ut dolor dorsi, lumborumque, aliaque signa testantur, diu recurrent, et hisce moliminibus adjutæ, medicinæ aliter parum valentes efficaces invenientur.

In

In Conspectu M. Th. Gregorii, (ad finem capititis trigesimi noni) verba infra citata invenies *.

Aliquando antequam menses fluunt, vel inter fluendum, fæmina dolore gravi dorsi ac lumbo-rum cruciatur, dum sanguis nimis parcè fluit, cui Dysmenorrhœæ nomen est. Sed ut eadem remedia huic morbo, ut in suppressione mensi-um, aptata sint, nil de illo amplius addam.

* “ In mensibus per medicinam eliciendis, memoria
“ semper tenere oportet, naturam multo magis quam ar-
“ tem valere, illâque repugnante aut nil juvante, hanc
“ parum efficere, et pleraque igitur remediorum jam re-
“ censitorum stimulantium pariter et anodynorum et re-
“ laxantium &c; tum maxime vel solum forsitan esse
“ adhibenda, cum naturæ molimina ad menses producen-
“ dos fiunt; namque per vim consuetudinis talia in diutur-
“ no etiam mensium defectu, per intervalla, sæpe æqualia
“ et menstrua molimina repetuntur. Hoc autem de om-
“ nibus non æque verum est, et præsertim de argento
“ vivo, et corporis exercitatione, quæ per intervalla eti-
“ am vel maxime sunt adhibenda.”

FINIS.



